Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitivm Perfectionis, Et Virtvtvm Christianarvm

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

IV. Non propterea quod leue quid per Regulam præscribitur excusatur eam infringens, imo potius accusatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40105

Visual Library

peccare poſſe, quod aliqua in eo negligentia, ſocordia, regulæ contemptus, vel vilipendentia, vel quid ſimile forte interueniat. Sicut id D. Thomas de ordinis Prædicatorij Regulis, quæ ex ſe etiam ad peccatum, tam lethale quam veniale neminem obligant, loquens, bene obſeruauit.

2.2.q.106. art. 9. ad 1. & Caiet. ibid ad 4 dubium.

CAPVT IV.

Non propterea quod leue quid per Regulam præſcribitur, excuſatur eam infringens, imo potius accuſatur.

ALiam quoque vulgarem ſatis vſurpare dæmon tentationem ſolet, vt Regulas aliquas nos tranſgredi faciat, nimirum parua, leuia & nullius momenti eſſe dicens, quæ ijs aut vetantur aut præcipiuntur, atque adeo ſanctitatem & perfectionem in hoc negans conſiſtere.

Minime ſpernenda eſt regula, quia leuia præcipit.

Hoc ille aſtu opem ad hoc ei ac vires præbente noſtra inertia, languore & tepore ſæpe nos eas violare & infringere facit.

Vnde aduerſus hanc tentationem armis quibuſdam nos neceſſe eſt communiri.

Dico ergo primo, per ipſum, quod quis in ſui purgationem adfert, leuia videlicet ea, & tenuia eſſe dictitans, culpam adeo non excuſari & imminui, vt etiam quadantenus ingraueſcat & adaugeatur.

Leuis materia grauiorem facit regulæ tranſgreſſionem.

Eſt hæc doctrina S. Auguſtini, de Adæ namque inobedientia loquens, ait: Sicut Abrahæ in filio ſuo Iſaaco immolando obedientia, merito magna & eminens reputatur, quod res tam ardua & difficilis illi iniuncta eſſet: *ita in paradiſo tanto maior primi parentis inobedientia fuit, quanto id quod præceptum eſt nullius difficultatis fuit.* Quod nullus in hoc ei ſit excuſationi locus.

lib. 14. de Ciuit. c. 15.

Adæ peccatum in leuim materia longe fuit grauiſſimũ

Quomodo enim ſe primo noſtri parentes excuſare potuere, quo minus in re tam facili, vti erat ab vna tantum arbore abſtinere, Deo vetanti obedirent, præſertim cum aliæ permultæ in paradiſo arbores, & fortaſſe meliora ferentes poma, minime deeſſent, de quibus comedere poterant?

Quid quæſo feciſſet Adam, ſi magnum quid ei Deus præcepiſſet? ſi quemadmodum Abrahamo præcept, filium vnigenitum vt immolaret, ita Adamo mandaſſet, dilectam vt vxorem ſibi ſacrificaret, quomodo in ea ſacrificanda putas morem geſſiſſet, qui ne eam contriſtaret, ne à pomi quidem vnius vti id mandarat Deus, eſu abſtinere voluit?

Qui cadit in paruis, citius in magnis ruet.

Pari modo ex eo, quod Regulæ, quas quis tranſgreditur, adeo ſint ſeruatu faciles, eius culpa & inobedientia magis aggrauatur.

Quod etiam notauit S. Bonauentura: *Minima neglecta* inquit *eo turpius moribus maculam ingerunt*, hominemque reprehenſione digniorem reddunt, *quo vitari facilius cognita potuerunt.*

In ſpecul. diſcip. ad nouitios in prologo.

Si quod præciperetur valde graue foret, ac factu difficile, aliquis forſan excuſationi eſſe poſſet locus, at in re adeo procliui ac leui quam adferre tui purgationem queas?

In neglectu minimorũ accuſationi nõ datur locus.

Ad hæc quomodo mihi perſuadeam in arduis & difficilibus fore vt obedias, ſine in facilibus quidem ac leuibus obedientiam præſtes? cui enim credam facturum eum quod maius eſt qui quod minus eſt non facit? Vnde S. Bernardus, *Qui linguam ſuam & ventrem cuſtodire non poteſt, monachus non eſt.*

Non facit magna qui parua negligit.

Lib. de interiori domo. c. 50.

non eſt. Et erat hoc, velut commune quoddam apud Priſcos illos monachos principium, & ab eo ſuum illi abſtinentiæ exercitium auſpicabantur.

Qui linguã & ventrẽ coercere nõ poteſt, monachus eſſe non poteſt. Quis quod facile eſt, non vincit, difficile nũquam vincet.

Dicebant namque, quomodo, qui in exterioribus (quod facilius eſt) ſeipſum non euincet, in interioribus, (quod longe difficilius) ſuperabit? quomodo ſpirituales & inuiſibiles (*contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*) hoſtes debellabitis, qui exterioribus quos præ oculis habet, præualere & reſiſtere nequit?

Epheſ. 6. 12

Hinc facile perſpicere poterimus, verane an falſa ſint illa, quæ interdum in nobis ipſis ſentimus ad res quaſdam magnas ſuſcipiendas. V. C. ad dura & laborioſa ſuſtinenda, ad mortificationes extraordinarias obeundas, etiam ad mortem inter Infideles & Gentiles oppetendam deſideria. Si enim hic in vmbra ne leuiſſimam pati & portare mortificationem vales, ſi etiam varias Regulas tranſgredi mauis, quam vt te in venia petenda mortifices, quomodo te credam ardua & perdifficilia aggreſſurum?

Quare rem acu tangens Bonauentura, dicit: *Multi pro Chriſto optant mori, qui pro Chriſto nolunt paruas iniurias & leuia verba pati. Sed quem terret ſonitus folij volantis, quomodo ſuſtineret ictum gladij terribiliter vibrantis?* Si verbulum aliquod acerbius ab alio in te prolatum, quod leuiter per auras volat, te turbat & inquietat, quid erit, quando perſecutoris gladius reipſa deſæuiet? Quid quando falſa contra te in rebus grauibus teſtimonia producentur, & vt vera credentur.

Per parua itur ad magna.

Quocirca idem Bonauentura auctor eſt, vt in rebus leuibus nos vincere & mortificare aſſueſcamus: qui enim in his ſeipſum mortificare & voluntatem ſuam frangere neſcit, multo id minus faciet in magnis: *Minima*, inquit, *aduerſa tolerare patienter aſſueſcamus, quia maiora non ſuperat, qui minora tolerare non didicit.*

In ſcala Religioſ. ar. 16

Nouitius quidam, vt Dionyſius Carthuſianus refert, magnum primis conuerſionis ſuæ diebus feruorem præ ſe tulit, exinde vero, vti fieri aſſolet, intepuit ac prorſus refrixit. Initio namque, omnia illi erant perfacilia at poſtea quælibet humilitatis & mortificationis exercitia illi difficilia apparere, & magnam ipſe in illis obeundis moleſtiam cœpit ſentire. Graue & permoleſtum in primis illi videbatur vile & abiectum quoddam veſtis genus, ab Nouitijs pro more tunc geſtari ſolitum. Huic ergo quadam die poſt meridiem dormitanti, apparuit per viſum Chriſtus dominus oblongam & grauem humeris crucem geſtans, cum qua anhelans & fatiſcens, gradus quoſdam in proximo poſitos conatus eſt aſcendere, at quod crux eſſet immenſum grandis & lata, per gradus eam traducere nequiuit. Quem Nouitius laborantem & fruſtra conantem miſeratus, eique opitulari geſtiens, ait, ſine obſecro, domine tibi me in cruce hac geſtanda ſuppetias ferre. Sed ſeuero & ſubirato vultu eum intuens Dominus, indignabundus ait, E qua tu audacia tam grauem & ponderoſam hanc crucem meam ferre præſumis, qui ne habitum quidem illum adeo etiam leuem mei amore geſtare ſuſtines? Quo dicto, viſum diſparuit, & Nouitius experrectus, ad hanc exprobrantis Domini vocem ita erubuit ſimul & animatus eſt, vt ex eo tempore, quantum antea in veſte illa humili & vili geſtanda moleſtiæ ſenſerat, tantum poſtea in ea voluptatis ſentiret & gaudij.

Principiũ feruet, Medium tepet, Finis alget.

Qui vult venire poſt me, tolat crucem ſuã & ſequatur me.

Crucem quomodo ferat qui velem veſtem ferre refugit.

CAPVT